



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

V. An idem numero effectus possit produci à duabus causis totalibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

quoddam causa non æquè bene fieret per solam primam actionem, quam per utramque.

CV. Vgbebis, saltem sequitur, quoddam actio rei à re emanans non sit nisi conservatio rei jam per Deum productæ, ac proinde quoddam non det primum esse, sed esse conservatum & secundum, ergo, &c. Probatur assumptum, quia actio quæ Deus rem producit, est re prior naturâ: actio verò quæ res seipsam producit, est re naturâ posterior; repugnat autem actionem esse re naturâ posteriorem, & tamen esse concomitantem (quod requiritur ut ad primum esse rei, prout contra esse conservatum & secundum distinguitur, & non solum ad secundum, terminetur) cum rei productione, quæ sit in priori, quam res sit, ergo, &c.

CVI. Resp. negando assumptum, quia ad hoc ut actio terminetur ad esse conservatû, debet res prius in aliquo instanti reali vel rationis extitisse, quod hic non fit, quia sic actio rei à re emanans ad rem terminatur, ut sit eodem indivisibili instanti intrinsicè objectivè, quo est prima ejusdem à Deo productio, licet dicatur naturâ posterior illa, quatenus ab ea tanquam causa emanat, ut supra vidimus: unde ad probationem assumpti patet; quid autem alii, qui prioritatem naturæ explicant per prioritatem instantis objectivè distincti ab instanti posterioritatis naturæ, solidè respondere possint, non satis apparet, nisi fateantur rem ab illa secunda actione non accipere primò esse & esse primum, sed secundò & esse secundum, sive conservatum, prout opponitur primò incipienti.

CVII. Objicies 1^o. Patres & Doctores Scholastici omnes inferunt distinctionem realem Personarum in divinis ex Relatione producentis, quæ est in una Persona respectu alius; sed si idem posset seipsum producere non rectè inferrent, ergo, &c.

CVIII. Respondeo concessâ majore, distinguendo minorem, sed si idem in increatis seu divinis posset seipsum producere, non rectè inferrent, concedo minorem; si idem in creatis tantum, & non in divinis, posset seipsum producere, non rectè inferrent, nego minorem: quoddam verò idem possit in creatis seipsum producere fusè probatum est, nec hic valet sequela à creatis ad divina, ut statim patebit: quoddam autem in increatis seu divinis idem non possit seipsum producere, Ratio est, quia vel id fieret supernaturaliter, vel naturaliter, ac proinde necessariò, quia omnes actiones Dei ad intra & naturales, sunt necessariæ? non primum, quia non datur causa potentior personâ divinâ, quæ illam ad effectum supra vires suas elevet, quod requireretur: non etiam secundum, 1^o. quia illa productio naturalis sui ipsius esset omnino superflua & otiosa, sicut secunda productio Filii à Patre & secunda productio Spiritus sancti à Patre, & Filio, & sic de qualibet actione naturali secundò productiva totaliter ejusdem effectus: 2^o. Pater esset magis, vel saltem æquè potens, ut Filium secundò produceret, quam ut se produceret, ut fatebuntur omnes, ego si se naturaliter, ac proinde necessariò produceret, quidni & Filium secundò produceret: 3^o. si se naturaliter produceret, & secundò Filium, quidni infinitus? in quo est superfluitas, ut patet: 4^o. si una persona seipsam produceret, quidni & sibi similem à se solo numero distinctam, imò & infinitas tales, produxit, quoddam est hæreticum: 5^o. denique in divinis effectus, nec supernaturaliter, nec naturaliter producit suam causam, ergo nec seipsum:

consequentia patet, quia in creatis solum inferimus idem posse producere seipsum, quia à suo effectu supernaturaliter produci potest quoad primum esse: antecedens est de fide.

CIX. Objicies 4^o. Sancti Patres dicunt esse impossibile idem, tam in creatis, quam in divinis producere seipsum, puta quoad primum esse, ergo non tantum in divinis, sed nec in creatis idem potest producere seipsum: Probatur antecedens 1^o. ex Athanasio lib. 2^o. de Propriis personis, nemo si biipsi Pater, Pater est: 2^o. ex Epiphânio hæresi 57. si Pater est, seipsum generare impossibile est: 3^o. ex sancto Cyrillo Alexandrino lib. 1^o. in Ioannem c. 2^o. necessariò à generante genitum reipsâ distinguitur: 4^o. ex Hilario lib. de Synodis post octavum Canonem Orientalium cum non possit nisi alius, atque alius esse generans & genitus: 5^o. ex Augustino lib. 1^o. de Trinitate, cap. 1^o. qui putant ejus potentia esse Deum, ut se ipsum ipse genuerit, eo plus errant, quod non solum Deus ita non est, sed nec spiritualis, nec corporalis creatura; nulla enim res seipsam gignit, ut sit; ergo, &c.

CX. Respondeo idem in divinis non posse producere seipsum, esse sufficienter probatum Resolutione ad objectionem tertiam: pro creatis autem distingo antecedens, Sancti Patres dicunt esse impossibile idem non productum à Deo concomitantem, & eodem indivisibili instanti, sive reali, sive rationis, seipsum producere, concedo antecedens; & ratio hujus sumitur ex objectionem secundâ, nec aliud possunt velle sancti Patres citati: productum à Deo concomitantem, &c. nego antecedens; nam id posse fieri clarè patet ex Resolutione hac & præcedente: unde dic Patres loqui de potentia ordinaria, non verò de absoluta. Ex his

CXI. Colliges aliquid divinitus posse seipsum primò producere, & primum esse dare; sed non posse positivè primam sui productionem ponere, ob rationes supra datas.

DUBIUM V.

An idem numero effectus possit produci à duabus causis totalibus.

Ante Resolutionem
CXII. A Suppono per causam totalem intelligi eam, quæ talis est, ut, sive præsentem, sive absente aliâ causâ, ponat totum effectum, ita scilicet, ut cessante omni aliâ, & ipsâ solâ permanente, permaneat effectus. Hoc supposito, sit

RESOLUTIO I.

CXIII. Dico 1^o. contra omnes Scotistas, nominatim Poncium, & Thomistas frequentius, nominatim nostros Compl. & Cursum Thomistarum, Vasquez in 3. p. Disp. 29. c. 4^o. &c. idem numero effectus potest supernaturaliter produci à duabus causis totalibus, sive materialibus, sive formalibus, sive efficientibus, ita Nominales & Cajet. 1. p. q. 52. art. 3^o. è Societate Suarez, Valentia, Hurtad. Arriaga, Oviedus, &c.

CXIV. Probatur, quia possunt 1^o. duæ causæ materiales supernaturaliter sustentare eandem formam: 2^o. duæ formæ possunt supernaturaliter informare unam materiam: 3^o. duo ignes tertium producere possunt supernaturaliter per actiones non attemperatas, sed totales, eo modo, quo ab invicem separati illum producerent, ergo, &c. consequentia patet: probatur antecedens, quia

quia id omnipotentiam Dei commendat, nec apparet ulla in eo repugnantia: non in primis ex parte causarum, quia cum qualibet seorsim poneret actionem totalem, poterit saltem supernaturaliter conjunctim cum altera causa, illam non attemperare, & totalem ponere: Deinde neque ex parte effectus, quia actiones non sunt ipsius, sed causarum; unde indifferens est, ut unam, vel plures terminet: denique non etiam ex parte actionum, nam licet una esset superflua attentâ exigentiâ naturæ, est tamen omnino necessaria, ut potentia Dei absoluta redigatur ad actum sibi proportionatum, ergo, &c.

cxvi. Confirmatur 2^o. docent Thomistæ communiter formas Sacramentorum & Sacramenta producere Physicè suos effectus supernaturales, ut gratiam, characterem, &c. quo posito, sequitur 1^o. quòd si duo simul baptizent, & formam simul absolvant, utrumque tamquam causam totalem simul producturum Physicè gratiam, & characterem: item quòd si plures novelli Sacerdotes circa eundem panem, quem Episcopus manibus tractat, simul absolvant formam Consecrationis, illos tamquam causas totales ibi producturos Corpus Christi, & idem est de aliis simul absolventibus formam, circa diversos, ergo, &c.

cxvii. Nec dicas illos ibi concursuros tantum tamquam causas partiales. Id enim mihi parum probatur; tum quia non accomodant sibi invicem suas intentiones, sed independenter ab invicem agunt; tum quia non apparet cur independenter ab invicem totaliter agere non possint.

cxviii. Si respondeas 1^o. alioqui fore, ut cæteræ, præter unam actionem totalem, forent superflue. 2^o. quòd ille effectus ab una quidem causa penderet, à cæteris verò penderet, & non penderet; penderet, quia ab illis acciperet esse; non penderet, quia adhuc illis cessantibus, permaneret in esse: Sed

cxix. Contra primum est, quòd cæteræ actiones forent adhuc utiles 1^o. conditionatè & provisionaliter, ut res perseveraret in esse, casu quo illa una alia actio totalis defineret esse: 2^o. absolute ad exercitium proportionatum omnipotentiae Divinæ. 3^o. forent adhuc utiles, ad hoc ut duæ causæ totales rem producerent, licet non forent absolute necessariae, ut res foret & existeret simpliciter. 4^o. ut res firmitus consisteret.

cxx. Contra secundum etiam est, quòd à cæteris penderet, id est, esse acciperet, quamdiu simul cum causarent, licet ab illis hoc sensu non penderet, quòd illis desinentibus necessariò defineret; sed hæc dependentia effectus à causa, non est absolute necessaria, ut patet.

cxxi. Objicies tamen: una actio non potest pendere à duabus causis totalibus, ergo nec idem effectus. Probatur consequentia à pari.

cxxii. Respondeo 1^o. negando consequentiam, quia causa non potest denominari totalis, nisi ejus influxus & actio sit totalis; totalis autem esse non potest, si partialiter sit ab altera causa; nam tunc respectu singularum causarum, est partialis partialitate causæ, ut consideranti statim patebit.

cxxiii. Respondeo 2^o. negando antecedens; sic ut enim unio in sententia illam distinguendum à sua productione, potest à materia & forma tamquam causis materialibus totalibus per Deum pendere, in eo enim nulla repugnantia; ita non ap-

paret, cur una actio non possit similiter esse à duabus causis totalibus efficientibus: nec refert, quòd non posset manere alterutra causa cessante, quia idem cōtingeret in unione in casu præfato; quòd tamē non est refundendum in eo, quòd actio partialiter tantum ab utraque causa egrediatur, & unio in utraque partialiter tantum recipiatur; quia contrarium supponitur; sed in eo quòd sint modi, qui non possunt existere sine suis modificatis; idque solum verum puto de modificatis intrinsicis, non verò de extrinsecis, ut actione respectu agentis; unde alterutra causa cessante, adhuc actio maneret.

RESOLUTIO II.

cxxiv. **D**ico 2^o. idem numero effectus potest naturaliter produci à duabus causis totalibus, five materialibus, si supponas earum aliquam dari penetrationem naturaliter; five formalibus; five efficientibus: videtur esse Nominalium, Averſæ q. 16. sect. 5^a. & Hurtadi Disp. 13^a. de Anima sect. 7. contra Scotistas, Oviedū, nostros Complutenses, & alios quos citant: item contra Aegyptum lib. 2^o. de beatitudine tomo 1^o. quest. 5^a. art. 2^o. ubi asserit suam conclusionem esse indubitatam apud omnes, non legerat putem præfatos Nominales.

cxv. Probatur, quia nulla est repugnantia in primis ex parte causarum; nam, si duæ causæ materiales se penetrent, ut materia & forma respectu unionis distinctæ ab actione in multorum sententia, non est ratio, cur una potius formam recipiat, quam alia: 2^o. si duæ formæ totales simul sint in eadem materia, non est ratio, cur una suum effectum formalem tribuat, & alia non. 3^o. si duo ignes eidem stuppæ applicentur, non est ratio, cur potius unus, quam alius eam comburat, ergo, &c.

cxvi. Nec dicas cum P. Arriaga alterutram attemperaturam suam causalitatem, ne alterutra sit futura superflua; quia, (præterquam quòd causa materialis non habeat causalitatem five influxum præter seipsam, quem attemperet, & seipsam attemperare non possit) cum una ex illis causis non cognoscat alteram agere, non est, unde excutatur ad attemperandam suam causalitatem: deinde, sicut neutra causa est indifferens ad agendum, vel non agendum jam positis omnibus ad agendum requisitis, ita nec est indifferens ad agendum totaliter vel partialiter, ac per consequens, nec ad attemperandam suam causalitatem, jam positis omnibus ad agendum totaliter requisitis; dicere autem, quòd unum è requisitis sit, ut alterum agens non coagat totaliter, non est rationi conforme; 1^o. quia unum agens non tollit vires alterius, sed potius auget; 2^o. quia sicut unum è requisitis ut materia formam totalem recipiat, non est ut alteram totalem non recipiat, ut constat ex dictis lib. 1^o. Disp. 3^a. Dub. 3^o. ita nec ut agens totale agat, est unum è requisitis ut alterum agens non agat totaliter.

cxvii. Prosecutio probationis conclusionis. Deinde nulla repugnantia est ex parte effectuum, nam causalitates non sunt ipsius; unde indifferens est (ut dubio superiori dicebamus) ut unam, vel plures terminet.

cxviii. Nec dicas cum P. Oviedo Physicæ controverſ. 7^a. puncto 7^o, quòd sicut causa numquam determinatur ex speciali Dei Decreto ad recipiendum aut producendum effectum jam corruptum; ita nec

nec ad recipiendū aut producendum effectū, aliunde sufficienter receptum aut productum: nam præterquam quod hæc repugnātia non sit ex parte causarum, effectus, aut actionum, sed ex voluntate & lege Dei extrinseca tantum, de primo decreto est communis Patrum & Theologorum sensus, ne resurrectio mortuorum dicatur naturalis: ex nostra verò sententia, id non sequitur, neque ullus Theologorum somniavit Deum decrevisse non concurrere ad secundam receptionem, aut productionem totalem ejusdem rei; unde cum in eo nulla sit repugnātia naturalis, & videatur experientia docere id fieri naturaliter, non est, cur tale decretum hic opponatur & prætexatur.

cxix. Prosecutio alia probationis. Denique nulla est repugnātia ex parte actionum; nam essent à diversis principiis; sicut enim duæ actiones totales ad duos diversos effectus terminatæ, possunt esse ab uno principio; quia ad hoc nulla est repugnātia naturalis; ita duæ actiones totales à duobus principiis egressæ, possunt esse ad unum effectum, quia ad hoc non est major repugnātia naturalis, quàm ad illud, ergo, &c.

cxix. Nec dicas cum Oviedo loco citato, actiones totales ejusdem termini opponi in ordine ad terminum communem, ita scilicet, ut una non exigit esse præsentem aliā: nam in primis non est ratio cur potius opponantur in ordine ad terminum communem, quàm in ordine ad principium commune; si enim ita opponantur, ut una non possit esse præsentem aliā ejusdem termini, ita etiam opponentur, ut una non possit esse præsentem aliā ejusdem principii: Deinde non magis opponuntur in ordine ad terminum communem, quàm duæ formæ totales substantiales in ordine ad materiam idem subjectum commune: Denique gratis dicitur opponi in ordine ad terminum communem, & ratio illius solida non est assignabilis, ut contendimus.

cxix. Obijcies 1^o. *natura nihil agit frustra*; sed una actio totalis esset frustranea, ergo, &c.

cxix. Respondeo negando minorem, utilitas enim istius actionis sufficienter patet ex dictis Resolutione 1^a. num. 119.

cxix. Obijcies 2^o. idem agens non potest diverso tempore eundem effectum producere, sed semper alium numero distinctum producit; ergo diversa agentia totalia simul applicata nequeunt eundem effectum per duas actiones totales producere: Probatur consequentia, quia magis conducit ad diversitatem effectus, diversitas agentis, quàm diversitas temporis, sicut agens magis influat, quàm tempus, ergo, &c.

cxix. Confirmatur, duæ causæ operantes in diversis locis, habent diversos effectus, ergo & illæ, quæ operantur in eodem loco.

cxix. Respondeo negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quod sicut experientia docet *simile non agere in prius simile*, sed semper ad assimilandum sibi passum agere, ita *simile prius*, non recipit simile, quod tunc fieret; quia tamen simile potest facere sibi simile, & si duo similia simul agant ut faciant sibi simile, prius simile non agit in simile, sed agit simile concomitanter, etiam simile concomitanter potest recipere simile.

Ad confirmationem,

cxix. Respondeo negando consequentiam, & ratio disparitatis etiam est, quod ex primo sequeretur effectum eundem esse debere in diversis locis, aut causas frequenter naturaliter agere in distans sine medio, quod ex secundo, sive ex consequentia illa, non sequitur.

cxix. Obijcies 3^o. sicut naturaliter nequit produci idem effectus, Deo semper concurrente juxta naturæ exigentiam ad diversa individua; sic secundum eandem naturæ exigentiam Deus semper determinat nova agentia ad producenda diversa individua.

cxix. Respondeo negando consequentiam; quia licet qualibet causa, vel ex Dei decreto, vel ex se, dicatur determinata ad tot producendos novos effectus, quot novas productiones est determinata ponere; non ideo est determinata suos effectus sola ponere, ut patet, & contrarium convincunt nostræ supra allatæ probationes, pro casu quo simul duæ causæ totales ponuntur.

DISPUTATIO QVARTA.

De causis Intrinsicis.

DUBIUM I.

Quid causa intrinseca, & an detur.

I. Dico 1^o. causa intrinseca est: quæ effectum causat, seipsam communicando, & cum tamquam partem ejus intrinsecam constituendo. Ita communiter.

RESOLUTIO II.

II. Dico 2^o. nulla datur causa intrinseca. est contra omnes, quos legi; puto tamen eam debere esse omnium, qui docent totum non distinguere realiter intrinsece à suis partibus.

III. Probatur, quia, ut constat ex dictis, partes non sunt intrinsece toti, sed extrinsece tan-

tum fundamentaliter & objective ipsum constituunt: nec causa materialis est pars intrinseca formæ, quam materialiter causat; alioqui esset causa materialis suiipsius: nec causa formalis est pars intrinseca materiæ, quam causat formaliter; alioqui esset causa formalis suiipsius: nec causa efficiens est pars intrinseca sui effectus; alioqui idem esset causa efficiens suiipsius; sed nihil aliud suppetit, respectu cujus causa sit causa intrinseca, ergo, &c.

IV. Confirmatur evidenter, vel causa intrinseca, si detur; est intrinseca toti formaliter? & non sic, quia totalitas, ista utpote quædam plurium unitas, fundatur in conceptu unificante, haud secus quàm naturæ universalis unitas: vel toti materialiter? & non etiam sic, quia ut sic est materia, forma, unio, & nihil præterea, ut supra vidimus, partes